

scriptis tradidisse magis explicata. Valde igitur inclementer faciunt, qui aliqua vocabula duriora aut minus propria, quae postea explicata aut etiam mutata sunt, contra perpetuum sensum auctoris et ecclesiae vrgent. Nos tamen in hac causa phrases Augustanae Confessionis in hoc articulo plane nihil offendunt, imo profitemur eas vere et pie vsurpari posse. Statuit ea corporalem praesentiam in coena recte et bene, sed non interea stabilitur pontificia alligatio ad symbola, sed praesentia, quae homini salutaris est. Porro supra satis dictum est toto pectore nos fateri, quod vnimur Christo, non solum spiritualiter, sed etiam vt veteres dixerunt secundum carnem vel corporaliter. Et illius insertionis in corpus Christi vere σφραγις est illa sumptio, sicut dicitur: „Manete in me et ego in vobis.“<sup>117</sup> Item: „Ego sum vitis, vos palmites.“<sup>118</sup> Neque interea oportet imaginari enthusiasticam deificationem et substantiarum commixtionem exemplo Osiandri et imprimis Suenckfeldij,<sup>119</sup> sed fide haec fit insertio et ea fides vere est hypostasis rerum sperandarum et ἔλεγχος non apparentium.<sup>120</sup> Sed de his rursus paulo post loquemur.

Obstrepat vero etiam agmen aduersarium poni a nobis vacua et inania signa et nihil tribui signis. His vere dicere poteramus, quod ille fratri in iurgio respondet aut studio illos occultare, quod verum est, aut si serio ita iudicent, mentem illis esse ademptam. Sicut enim nec praedicatio aut meditatio vocis diuinae inane signum aut exercitium est, vt enthusiastae docent, nec baptismus nuda pictura vel signum, sed media, per quae Deus denunciat et donat quae promisit, ita nec illa externa sumptio inane spectaculum vel signum est, sed est res visibilis, cum quam Christus vere secundum institutionem suam praesens est et qua ipsi vere per fidem vnimur.<sup>121</sup> Sed excipiunt. Etsi de fructu et efficacia recte loquamur, tamen symbola ipsa nos [34:] omni spoliare praesentia. Respondeo. Prolixe fatemur nihil substantiale accedere signis, quia nulla illis facta est promissio, sed homini dari ea, quae promissio docet et effici ea a Filio Dei, non a pane aut vino sumpto. Ita enim Paulus panem et vinum nominat etiam in vsu.<sup>122</sup> Et ita locuta est antiquitas non mutare symbola aut abiicere suam naturam. Porra si nouae substantiae fieret adiunctio siue per vnionem essentialem siue per respectum substantialem, reuera symbola naturam suam mutarent, sicut paulo post vberius declarabimus. Vt tamen sacer ille pastus discernatur a cibo physico vel profano, Paulus nominat

<sup>117</sup> Joh 15,4.

<sup>118</sup> Joh 15,5.

<sup>119</sup> In der Rechtfertigungslehre des Andreas Osiander war die Einwohnung der göttlichen Natur Christi im Menschen, die Vergottung des Menschen, ein integraler Bestandteil. Vgl. Stupperich, Osiander, 200–203. Zur Vergottungschristologie Caspar von Schwenckfelds vgl. Anm. 184.

<sup>120</sup> Vgl. Hebr 11,1.

<sup>121</sup> Zur Ablehnung der Position, die Abendmahlsfeiern seien als ein „inane spectaculum“ zu verstehen, vgl. Philipp Melancthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 863 (MWA 2/2, 522,4–6).

<sup>122</sup> Vgl. I Kor 11,26.